



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus IV. De Usu depositi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177


commodum intendit. Equum igitur fuit, ut leges magis prospicerent mutuanti quam vendenti.

25 Ob. 2. Nimis durum videtur creditores privati simul merce exstante apud Donatarium & simul pretio. 2. Donatarius agit de lucro cessante, vendens de danno emergente: ergo hic donatario est preferendus. Respondeo, Etsi hoc durum appareat, venditores tamen sibi imputare debent, quod fidem ementis secuti fuerint. dein possunt Commissarium convenire apud suam Judicem competentem. Ad 2. Respondeo, quod ponatur donatarius possessionem & dominium ædium donatarum jam adijisse: ergo etiam iste agit de

danno. 2. nemo debet se privare lucro in gratiam alterius.

Ob. 3. Si venditor prævidisset sibi pretium ab emptore non fore persolvendum, in istum dominium ædium non transtulisset: ergo transtulit dominium sub hac conditione: si solverit: cum igitur hæc conditio non fuerit impleta, dominium non fuit absolute translatum.

Respondeo concessio antecedente distinguo consequens: ergo sub hac conditione transtulit, si actu talem animum habuit concedo, si habuisset tantum, casu quo prævidisset periculum, actu autem non habuit. negatur. multi non darent Eleemosynam pauperi, si præviderent hunc illa ad malos fines abuturum, & tamen censentur absolute dedisse.



CASUS IV.

De Usu Depositii.

Sempronius centum Taleris in specie, quos apud se deposuerat Titius, hoc incio uritur. Item à Cajo centum ducatos in specie mutuos accipit: quia autem valor ducatorum interea auctus, Talerorum verò diminutus erat, hinc

Q. 1. Utrum Sempronius licite hoc deposito in suum commodum uti poterit?

Q. 2. Utrum satisfiat Cajo mutuatori, si eidem centum ducati in valore, non autem in specie restituantur?

Q. 3. Utrum Titio deponenti restituendum sit tantum, quantum ab eo acceptum in quantitate, vel quantum in valore?

E. 3

SYNOP.

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum?

*Utrum Sempronius licitè hoc deposito in suum commodum
uii potuerit.*

- | | |
|--|---|
| 1. Definitur depositum, & in quo à commodato, & precario differat, ostenditur. | 5. Secus dicendum, si contractus mutui accesserit. |
| 2. Depositi dantur varie species. | 6. In aliquo casu potuit Sempronius uii hoc deposito absque gravi culpa. |
| 3. Eique adduntur contractus alij. | 7. In quibus circumstantijs deponentis consensus in usum depositi presumi valeat? |
| 4. Puro deposito in nostrum usum uti non possumus sine consensu deponentis. | |

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum?

*Utrum satisfiat Cajo mutuatori, si eidem 100. ducati in
valore, non autem in specie restituantur.*

- | | |
|---|---|
| 8. Varij, & diversi modi, queis contrahere inter se Cajo, & Sempronius potuerint, expenduntur. | mili moneta mutuum reddita, si non expresse fuerit additum, ut centum in specie ac numero solvantur. |
| 9. Si non convenerint, ut centum ducati in specie iterum redderentur, excessus aucti interea valoris poterit detrabi. | 15. Si tempore contracti mutui fuerat incertus valor ducatorum tempore solutionis extiturus, mutuator exigere potuit, ut sibi centum ducati in specie restituerentur. |
| 10. 11. 12. 13. Satisfacit objectionibus. | 16. Si tempore contractus verosimilius sit tempore solutionis aucti iri valorem in super in hoc tempore. |
| 14. Centum ducati in specie, ac numero nequaquam solvendi erunt, licet conventum fuerit, ut in simili moneta mutuum reddita, si non expresse fuerit additum, ut centum in specie ac numero solvantur. | |

tempus aliàs conservati fuissent aurei, ut tantùm solvatur convenire mutuator cum mutuario potuit.

17. 18. 19. Satisfit objectionibus.
20. Idem tamen centum aurei non

potuerunt exigi, si illos ad tempus aucti valoris mutuator non conservasset, & de augmento hujus valoris moraliter certus erat.

21. & 22. Satisfit objectionibus.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Utrum Titio deponenti restituendum sit tantum, quantum ab eo acceptum in quantitate, vel quantum in valore?

23. 24. 25. 26. Afferuntur rationes suadentes satisfacere, licet centum tales in specie tantum restituat, etsi illorum valor diminutus fuerit.

27. Contractum hunc mutui in depositum ex usu hujus pecunie commutatum fuisse ostenditur.

28. Quoposito defectus diminuti pretij à Sempronio supplendus.

29. Prout etiam supplendus esset, si Cajus sub hoc onere dederat, ut secundum estimationem tempore contractus habitam restitueret, modo illos in suum usum convertere statuerit Sempronius, priusquam illorum valor diminueretur.

30. 31. 32. & 33. Solvantur rationes ab initio §. propositæ.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum Sempronius licitè hoc deposito in suum commodum uti potuerit?

NOT. 1. Depositum in L. 1. & sequentibus ff. de deposito & §. præterea; insit. quibus modis re contrahatur obligatio: & cap.

1. & 2. de deposito. definiri, esse id, quod alicui in custodiam conceditur, quia autem ordinariè commodatum, & precarium in gratiam è con-

recipientis conceditur, depositum è contrario in gratiam solius concedentis, constat depositum à commodato & precario distingui.

2. Not. 2. In Lege 1. ff. de depositis.

Depositum aliud constitui urgente necessitate v. g. incendij, tempestatis, belli &c. aliud extra talem necessitatem. Item aliquod vocari sequestrum, & quidem voluntarium, aut necessarium. Datur autem sequestrum, quando litigantes depositarij fidem sequuntur, ut vincenti depositum extradatur: quòd si ex ultroneo consensu, & voluntate litigantium deponatur, dabitur voluntarium: necessarium verò, quod non ultroneo consensu litigantium, sed officio judicis, præstatur: eò quòd talem sequestrationem rei, de qua litigatur, natura exposulet.

3. Not. ulterius 3. Contractuj depositi subinde adjungi contractum mutui, locationis aut conductio- nis. Qui deponit apud alterum rem quandam fungibilem sub hoc pacto, ut deponenti tantum ejusdem speciei & ponderis reddatur, is contractum mutui, & non depositi celebravit; eò quòd vi ejusmodi conventionis tam possessio, quàm dominium in depositarium translatum fuerit. Quod si autem ille, apud quem res quædam deponitur, mercedem accipiat, vel immediatè ex rei talis custodia, vel ex officio ad custodiendum ordinato, deposito contractus locationis adjectus fuit vi §. 1. Inst. de

locatione & §. ultimi Inst. de mandato. His præmissis.

Dico 1. Si depositum centum talerorum fuit purum depositum, non poterat illo uti Sempronius in suum commodum, aut in alium quendam usum absque expresso, vel tacito consensu deponentis constat conclusio ex lege: qui furtum ff. de conditione furtiva, & L. 3. Codice. depositi. Probatur etiam ratione: de re aliena non possum disponere sine expresso, vel tacito consensu veri domini, aut possessoris: sed tale depositum est res aliena: ergo.

Dico 2. Si concessio centum talerorum potius contractus mutui fuerat, quàm depositi, eodem licitè in suum usum convertere potuit Sempronius cum obligatione tamen satisfaciendi alijs pecunijs deponenti Titio. Ita communis, & ratio illius est, quòd contractum mutui in mutuatarium transferatur dominium, & quilibet dominus cum sua re disponere possit juxta suum beneplacitum.

Dico 3. Si Titius Sempronius non prohibuerat, ne depositi pecuniã uteretur, insuper Sempronius moraliter certus fuerat, se posse ejusdem speciei & beatitudinis monetam repetenti Titio restituere, utendo depositis pecunijs probabiliter non peccavit mortaliter. Ita Molina disp. 524. in fine. Lessius. lib. 2. cap. 27. dub. 2. n. 8. Laym. l. 3. summa sect. 5. tract. 4. cap.

J. cap. 25. n. 9. Probatur gravitas peccati est desumenda ex gravitate, aut levitate damni atque injuriæ, quam in tali casu Sempronius deponenti Titio intulit: at hæc non est gravis. Probatur: ponitur, quod ejusdem bonitatis & speciei monetam repetenti Titio possit dare: sed hoc posito non est gravis injuria, vel grave damnum eidem illatum ergo &c.

Confirmatur hac ratione deponens in hoc casu Titius aliquod lucrum reportat. Probatur. Si depositum ex culpa levissima aut levi prout evenire potuit, fortassis perijisset illius interitum ipse Titius debuisset luere: modo autem tota summa ab ipso utentes Sempronio est persolvenda.

7 Tota itaque difficultas nunc illuc devolvitur, utrum tacitum Titij consensum prudenter Sempronius præsumere potuerit, expressum etenim non adfuisse, supponimus. Layman *de deposito. n. 3. cap. 25.* asserit attendendum, num pecuniam clausam, vel ob-signatam in saculo quodam tradiderit? vel numeratam, non clausam, non ob-signatam custodia Titij commiserit? in priore casu supponendum juxta Layman,

& alios est, nullam licentiam ad usum depositi concessam fuisse: bene autem in posteriore *arg. legis si saculum ff. depositi*, Laymanno *tamen*, uti *§ Rebello 2. parte de obligat. lib. 16. q. unica de deposito n. 19. idem tenenti* in hoc contradicit Molina *dis. 523. post princ.* in quantum negat depositum semper constitui mutuuum, quotiescunque res in numero, pondere, ac mensura consistentes, numeratæ, ponderatæ, aut mensuratæ traduntur; rationem dat quia ejusmodi numeratio, ponderatio, atque mensura fieri possunt, & ut plurimum solent, ut depositarius, & quantum sibi tradatur, & quantum sibi restituendum sit, intelligat. ergo ex his non semper colligitur, deponentem mutuare voluisse talem rem alteri, consequenter alia quadam signa hanc præsumptionem fundare debent.

Interea certum est *ex lege 1. Cod. de bis qui in publicis rationibus lib. 10. § leg. 1. § 2. Cod. de bis qui in publicis collat.* eodem libro; custodientibus deposita publica prohibitum, atque illicitum esse uti ejusmodi depositis, licet certi sint habituros se suo tempore pecunias, quas in suum usum conversis substituunt.

§. II.

Resolvitur secundum Quasitum.

Utrum satisfaciat Cajo mutuatori, si eidem centum ducatos in valore non autem in specie restituat?

Cum obligatio contrahentium vel maximè dependeat ex conventionem, ac voluntate illorum, hinc ante omnia sciendum, quàm varijs, atque diverfis modis mutuatarium mutuatore obligare possit.

Sciendum itaque primò, mutuum pro contractu sumptum dici traditionem rei usuconsumptibilis sub obligatione postmodum similem reddendi: cum ergo in præfenti casu ponantur mutuo dati centum ducati. ideo modus, quo dati eidem fuere, investigandus erit. Primo itaque illas potuit dare, quin eidem genus, & speciem pecuniæ, in qua restitutio faciendâ esset, determinaverit.

2. potuit cum mutuatario convenisse, ut solutio in eadem moneta, ejusdem speciei ac bonitatis, in meris scilicet ducatis fieret, non addendo tamen numerum.

3. potuit etiam exegisse, ut Sempronius mutuatarius centum ducatos in specie, & ejusdem bonitatis sibi restitueret. & hoc ultimum in varijs circumstantijs fieri potuit: vel enim determinatè, certò, aut probabilius scivit mu-

tud datorum ducatorum valorem tempore solutionis augendum; vel hoc erat dubium? & æquale periculum de augendo vel minuendo illorum valore? item vel mutuator intermissa hac mutatione aliàs suam pecuniam in tempus solutionis & augendi pretij consecrâisset, vel non? ulterius considerandum, num tempus aucti valoris pro termino solutionis sit? vel non sit constitutum? Denique si etiam habuerit animum eo usque conservandi, videndum, num hanc suam mentem explicaverit, & expressè obligaverit mutuatarium ad tantum restituendum, vel ab hoc in contractu penitus abstulerit.

Dico itaque 1. Si Cajo centum ducatos simpliciter mutuo dedit, non addendo, ut centum ducatos in specie & ejusdem bonitatis sibi restitueret, & interea tempore scilicet solutionis auctus sit valor ducati, hanc majorem æstimationem diminuto numero ducatorum Sempronius detrahete poterit, consequenter ad restituendos 100. ducatos in specie nequam obligandus erit. In ex-

Tempore accepti mutui qui-
libet ducatus habebat valorem
trium florenorum cum dimidio;
tempore autem solutionis valent
singuli quatuor florenis; Sempro-
nius ex summa ducatorum in spe-
cie reddenda detrahere poterit 50.
florenos, & restituere tantum de-
bebit octoginta, & septem ducatos
unã cum duobus florenis: vel
si in argento solvere placuerit,
satisfaciet, si reddat 350. fl. ita
sentiant Covarruvias, Mynsinger,
Sylvester, Joan. Medina, Petrus
Navarra: Rebellus *s. p. l. 11. q. 15. conc. ultima*: Filiuccius *tract. 35. n. 490.* Eman. Saa *verbo mutuum n. 9. contra Fachineum libr. 2. contro. cap. 9. q. 1.* Tiraquel *libr. 1. de retractu § 2. Glossa 18.* Navarr. *cap. 27. n. 194.* Azor. *t. 3. lib. 7. cap. 10. q. 2. item Molina disp. 312.* Sor. Tolet. *Lugo disp. 25. de Just. sect. 7. n. 124.* Illung *de Just. art. 3. de mutuo n. 439.* afferentes mutuum non debere reddi in eadem specie monete, sed in moneta quacunque ejusdem valoris, quo accepta fuit, sive postea creverit, sive decreverit monete acceptae valor.

Prob. Con. nostra primo. Usus & consuetudo omnium ferme locorum jam obtinuerunt, si non aliud quid in pactum fuerit deductum, ut omnia debita tum ex venditione, tum ex delicto, & alio quocunque pacto contracta solvantur in quacunque legitima moneta: ergo etiam in mutuo: pro-

batur cons. si in mutuo diversum quid fieret, ratio esset, quia istud parit obligationem solvendi in eadem specie: hæc ratio nulla est, probatur min. potissima species monete non desumitur ex materia, sed ex valore, formaliter pecuniam in ratione monete constituyente, ita ut hic valor sit forma, & essentia monete, qua variata etiam variatur natura monete. ergo quando solvitur in moneta habente eundem cum mutuata pecunia valorem, solvitur in eadem specie ac bonitate.

Probatur 2. Natura mutui solum exigit, ut tandundem ejusdem bonitatis, & qualitatis reddatur, quantum fuit acceptum; atqui hoc in nostro casu fit: ergo &c. Probatur min. In casu posito accepit 350. florenos (tanti enim valoris tunc fuerunt 100. aurei) & tempore solutionis iterum restituit 350. florenos: ergo tantum restituit, quantum accepit. Confirmatur. Solutio fortis est commensuranda æstimationi rei mutuatae, quam hæc habuit, tempore mutuationis: atqui 100. hi ducati tempore mutuacionis habebant æstimationem 350. florenorum: ergo huic commensuranda est solutio. Probatur mai. Si hoc non fiat, tunc mutuans accipit aliquid ultra sortem mutuo datam, 50. scilicet florenos ultra 350. mutuo datos.

10 Opponunt adversarij 1. In restitutione rei mutuatae bonitas intrinseca est consideranda, non autem extrinseca & per accidens se habens ad illam: ergo &c. Probatur A. si modium tritici accepi tempore, quo valebat 10. denarijs, & solvo tempore, quo valet 12. debeo restituere modium, & supra istum non plus aliquid, si bonitas intrinseca tritici sit aequalis tritico mutuato: ergo, &c. Probatur A. natura mutui etiam in nostris principijs exigit, ut quoad fieri potest, idem, quod acceptum est, eadem scilicet species, quoad quantitatem, & qualitatem cum ea, quae accepta est, restituatur, & nec plus nec minus: ergo, &c. Resp. dist. ant. Est spectanda bonitas intrinseca in rebus distinctis à pecunia concedo in ipsis etiam pecunijs nego, cum essentia & natura pecuniae fermè nullam aliam, quam ex praescripto principis, & communi populi consensu aestimationem habeat, ideo hæc potissimum spectanda erit in mutuata pecunia.

11 Urgent. Ponamus casum, quod non sola aestimatio extrinseca, sed etiam materia intrinseca ducatorum variata fuerit notabiliter, item quod cuprea moneta fuerit substituta, habens valorem extrinsecum maiorem supra bonitatem intrinsecam materiae; non poterit dici, an satisfaciam, si 350. florenos in spe-

cie ducatorum restituum, vel in moneta aerea. n. Covart. d. Ho. §. unico, conclus. 3. Anton. Fab. de varijs pecun. debit. solut. cap. 4. n. 10. Tiraquel. de utroque retrah. lib. 1. §. 2. Glossa 18. Laym. tract. 3. pag. 1. cap. 5. n. 19. Palao d. sp. 4. de Just. puncto 1. n. 1. ex communissima Doctorum sententia testantur, mutuatarium fore obligatum in tali casu ad reddendam eam, quam mutuo accepit, materiam vel ejus aestimationem: rationem dant, quod reddens monetam longè deteriorem illà, quae accepta fuerat, licet in aestimatione forensi æquivalet, non reddat tantundem bonitatis, & qualitatis, quantum accepit: Probatur: mutuo accepta moneta intrinsecè melior in commutationibus, venditionibus, & ceteris contractibus pluris aestimatur, quàm materia merè cuprea aut notabiliter deteriorata: ergo &c.

Urgent 2. Si hætenus dicta subsistunt, qui accepit centum ducatos in specie, licet tempore solutionis eadem illorum aestimatio detur, non satisfaciet, nisi centum ducatos in specie restituat, etsi in argento reddat valorem aequivalentem: Probatur: materia restitutionis, cum sit argentea, est intrinsecè deterior aureis: ergo &c. Resp. hujus opinionis fuisse. Bartolum in lege 1. §. ult. ff. de auro. & argenteo legato. Antonium Butrium &

& Panormitanum in cap. quando de solutione. Baldum in lege si quis argentum: Cod. de donat. Boëtium decis. 327. Covarr. de veteri numism. collat. cap. 3. §. unico.

Contrarium tamen tuentur Fachin. l. 2. contro. cap. 49. Rebellus 2. part. lib. 8. q. 1. sect. 1. in sine molina tract. 2. disp. 299. §. Jura. Palao pu. 1. disp. 4. n. 9. de mutuo: eò quòd vi legis 1. ff. de contrabenda emptione, ibi: non tam ex substantia, quam ex quantitate, §. legis unice Cod. de argenti pretio, quod thesauris inferitur: ex auctore Imperatoris in publicis collationibus licet pro 20. libris ereis unum auri solidum: §. pro singulis argenti libris quinos ereos inferre. Et ratio horum est, quia, quando aliter non est conventum, nobilitas acceptæ materiæ compensatur quantitate, & valore pecuniæ solutæ, cum valor extrinsecus, & æstimatione potissimum in pecunia consideretur.

13 Ob. 2. Si tempore, quo auctus fuit valor ducatorum mutuator Cajus unum ducatum in specie comparare sibi vellet, deberet pro illo expendere quatuor florenos, item quadringentos pro 100. ergo debent etiam eidem restitui quadringenti floreni. Resp. con. ant. neg. conf. quia minor quantitas jam adequat summam, & æstimationem monetæ mutuatæ.

14 Dico 2. Si concessum hoc mutuum fuerat, ut solutio in simili

moneta aurea fieret, quin tamen additum fuerit, ut 100. numero & in specie iterum reddantur, non erunt in nostro casu centum ducati persolvendi. Ratio est, quòd ex una parte valor, & æstimatione, quam habebant tempore mutationis, possit reddi in moneta aurea, licet non centum dentur: ex altera parte tota hæc adjecta conditio hoc modo impleri potest, cum hæc verba prout jacent, nequaquam significant, voluntatem mutuantis esse, ut centum in specie ducati restituantur. Adde, quòd hæc verba solum videantur eum in finem adjecta, ut solutio non fiat in alia monetæ specie, nisi aliunde colligi possit diversa mens mutuatoris.

Dico 3. Si tempore concessi 15 mutui dubium æquale, vel æquè probabile, aut incertum fuit, an valor ducatorum tempore solutionis diminuendus, vel augendus sit, licitum erat pactum, quo mutuator mutuatarium obligavit, ut sibi centum ducatos in specie denuo restitueret. Ita Sylvester v. usura q. 14. Sotus 6. de Just. q. 1. a. 2. in sine: Navarr. Toletus l. 5. cap. 34. Molin. disp. 310. Rebell. 2. p. de oblig. Just. lib. 8. q. 2. n. 1. Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 17. n. 145. Joan. Salas, Laym. l. 3. summe sect. 5. tract. 4. cap. 16. n. 14. Palao pu. 13. n. 2. loci citati. Probatur 1. ex lege vinum ff. de rebus creditis, §. ex cap. in civitate: §. cap. Naviganti in 2. casu

casu de usuris. Probatur 1. Ex eo, quod in hoc casu nulla inæqualitas inter utrumque contractum deprehendatur.

- 16 Dico 4. Si verosimilius sit, augendum fore tempore solutionis pretium, & mutuator etiam præscindendo ab hac mutatione conservare hos centum ducatos in illud tempus constituerit, exigere poterit, ut tempore solutionis 100. ducati in auro vel in moneta alia, æquante valorem illius temporis restituantur. Ita tenent Navarr. Petrus Navarra 3. *de restit.* 2. p. cap. 2. *dub.* 5. Molin. Lessius, Rebell. Salas. Probatur, mutuator non tenetur ratione huius mutui dati, & exhibiti mutuatario favoris, aliquid damnum in suis rebus pati: sed pateretur: ergo &c.

- 17 Dices: vel talis mutuator, ad hæc ut possit centum ducatos in specie exigere tempore aucti valoris, tenetur hanc circumstantiam mutuatario insinuare? vel non? si tenetur insinuare, consequenter, si hoc omiserit, non poterit illud exigere. Quod autem insinuanda sit hæc circumstantia, ex eo videtur constare, quod aliàs ipsi mutuatario obligatio ad solvendum excessum sit involuntaria, cum hoc pactum non iniret, si sciret valorem tempore solutionis auctum iri. Resp. probabilius non dari obligationem insinuandi hanc circumstantiam explicitè; cum abundè insinuetur implicitè, & sub conditione, si sci-

licet augendus esset valor, eo ipso, quod petat, ut sibi centum ducati in specie restituantur.

Dices: hæc implicita, & sub conditione facta insinuatio non tollit involuntarium in ipso mutuatario: ergo &c. Probatur: ant, adhuc in illo datur ignorantia augendi valoris. Resp. hanc ignorantiam esse solum secundum quid, neque obesse valori contractus: non versatur circa substantiam contractus, eò quod moraliter loquendo, & in communi estimatione illud periculum solvendi plus ignoretur, consequenter onus reddendi tot numero ducatos communiter non estimatur maior, quam mutuataris apprehendat: ergo cum pecunia adhuc suum valorem retineat, non datur ignorantia circa substantiam contractus.

Confirmatur: si etiam mutuator ignorasset augendum esse valorem ducatorum, ignorantia mutuatarij nequaquam vitioset valorem huius contractus: ergo neque vitiat, licet mutuator fuerit conscius, quia huius scientia nihil immutat ex parte mutuatarij, nec onus ex parte mutuatarij ob hoc erit majus, & mutuataris etiam nollet ita accipere mutuum, nisi scivisset mutuantem ignorare, augendam brevi estimationem monetæ, ipsi tamen hoc intimatum fuisset ab alio.

Confirmatur 2. Si mutuantem sciat, brevi minuendum esse valorem

lorem pecuniæ mutuò datæ, licet hoc non insinuet mutuatario, & hic si id sciret, non mutuasset, poterit ille tamen obligare mutuatariam, ut valorem, quem tempore dati mutui habeat, restituat, nec ignorantia mutuatarij hujus viloris obstat: ergo neque obstitit, si augendus valor sciatur à mutuantem, & ignoretur à mutuatario.

19 Dices: saltem mutuator est causa hujus ignorantie. Resp. neg. non enim iste illam infert, sed tantum aufert.

20 Dices 5. Si mutuator hos centum ducatos conservare usque ad tempus solutionis destinatum non decrevisset, & mutuatario etiam liberum reliquisset, ut ante tempus augendi valoris solveret, non potuit probabilius exigi idem ducatorum numerus, is moraliter certum fuit, valorem monetæ augendum esse. Ita sentiunt Molina *disp. 311. § 3. 2.* Lessius *l. 2. cap. 20. dub. 17. n. 149.* Rebellus *2. p. de oblig. Just. l. 2. q. 2. n. 5.* Laym. *l. 3. summe sect. 5. tract. 4. cap. 16. n. 14. § 15.* Salas, Palao *n. 4. loci cit. contra Sylvestrum, Sotum, Navarrum, Toletum l. 5. c. 14. n. 3.* Solon, Grassis, Garciam, Lopez. probatur conclusio si petatur, ut idem numerus ducatorum in valore auctus reddatur, petitur quid amplius, quam quod fuerat traditum: atqui petere quid amplius in mutuo est usura, & illicitum: ergo &c.

Prob. maj. Substantia omnis pecuniæ præcipue in æstimatione, & valore, proveniente à lege consistit: ergo si iste ex hac fuit auctus, & tantum petatur, petitur amplius, quam quod fuerat mutuò datum.

Confirm. Si mutuator sciret, tempore solutionis diminuendum fore valorem ducatorum; cum non deberet in gratiam mutuatarij jacturam pati, posset exigere, ut tantundem in valore reddatur, quantum datum erat mutuum: ergo è contrario, quando scit, auctum valorem, duntaxat tantum exigere poterit, quantum dedit. Prob. conf. Si hoc non observaretur, & mutuatario præjudicaretur, & plus, quam expensum fuisset, acciperet mutuator.

Dices: si mutuatario liberum relinquitur, ut mutuum restituat ante tempus augendi valoris, tunc mutuatario est dubium, an sit solutio facienda ante vel post auctum valorem pecuniæ: & ipse mutuatarius sibi debet adscribere, quòd ante illud non perolverit. Ergo poterit tale quid exigi. Resp. neg. conf. ratio est, quòd libertas solvendi ante valorem auctum non impedit, quin aliquid accipiat ultra sortem, & consequenter committatur usura, qualis committeretur, si mutuatarius ad solvendum certo tempore mutuum obligaretur sub onere solvendi aliquid ultra sortem, si tem-

porè

pore tali constituto solutionem facere omiserit.

22 Dices 2. Qui scit valorem pecuniæ minuendum esse, & mutuum concedit sub conditione, ut illi eadem quantitas pecuniæ reddatur, nullam committit usuram: ergo ne-

que prior, Resp. nego. consequens disparitas est, quòd pro tempore dati mutui pecunia adhuc retineat illum suum valorem: ergo si tantundem expetit, non expetit aliquid ultra datum.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Utrum Titio Deponenti restituendum sit tantum, quantum ab eo acceptum in quantitate, vel tantum, quantum acceptum fuit in valore?

23 **P**osuimus in casu valorem centum talerorum, quos apud Sempronium deposuerat Titius; interea diminutum fuisse, insuper Sempronium in suum usum convertisse 100 taleros, quando illorum valor adhuc erat integer: in tali supposito, quòd satisfaciat Sempronius, si centum taleros similes in specie restituat non obstante diminuto illorum valore, inde videtur constare.

Primo in *Lege in Navem ff. locati versu respondit, hæc habentur: idem Juris esse in deposito: nam si quis pecuniam numeratam ita deposuisset, ut neque clausam, neque obfignatam traderet, sed adnumeraret, nihil aliud eum debere, apud quem deposita esset, nisi tantundem pecuniæ solvere, sed si restituit, centum taleros, tantundem pecuniæ*

solvit: ergo non tenetur plures, quam istos centum in specie restituere.

2. Omne depositum manet sub dominio possidentis: & quilibet res perit domino suo: ergo iacturam ex diminutione pretij ferre debet deponens Titius.

3. Si Sempronius non usus fuisset illis taleris depositis, utique satisfecisset, si illos in specie, & numero centum taleros reddidisset: ergo modo satisfaci, si omnino similes reddat, quia in aestimatione morali habentur pro iisdem numero.

4. Juxta legem: *sed mihi videtur. §. si reddita. ff. comodati. Et lege. 1. §. si res deposita. ff. depositi.* depositarius tenetur depositam rem restituere talem, quam

lem recepit, hoc est, non fractam, non diminutam non detritam, corruptamve, neque aliquo modo deteriorem factam, sed hoc fit, modo restituantur ejusdem bonitatis centum taleri in specie.

Hæ sunt rationes faventes Sempronio: ut autem, quid sentiendum sit, gradatim ostendamus.

27 Dico. 1. Si Sempronius his centum taleris sive ex consensu expresso, sive præsumpto, sive invito positivè deponente Titio usus fuerit, contractum depositi transiisse in mutuum, ita, ut ex illo tempore centum depositi taleri non amplius rationem depositi, sed veri mutui habuerint ita Lessius lib. 2. de justitia cap. 27. Lugo. de justitia disp. 33. sect. 1. n. 3. Azor. l. 10. cap. 7. cum communi aliorum: probatur ulterius ex lege certi conditio §. ultimo ff. de rebus creditis ibi depositi apud te decem, postea permisi ea tibi uti: Nerva, Proculus: etiam antequam moveantur, condicere quasi mutua, tibi hæc posse, ajunt. Et est verum ut §. Marcello videtur: animo enim cepit possidere: ergo transijt periculum ad eum, qui mutuum rogavit, Et poterit ejdem condicij.

Dein colligitur ex lege: in navem ff. locati, pecuniam depositam, quia ipso usu consumitur, & perit, videri transire in dominium depositarij utentis.

Ratio esse potest; depositarius eo animo, ac intentione utitur tali pecunia, quæ annumeratur rebus usu consumptibilibus, ut deponens postea certior factus non censeatur esse rationabiliter invitus: sed solum tunc dominus non est rationabiliter invitus, quando depositarius pecunias ut mutuas accipit, & in suos usus ita convertit: ergo in tali casu depositum transijt in mutuum.

Dico 2. Supposito, quòd depositum in verum & purum mutuum transierit, defectum diminuti pretij à Sempronio supplendum esse. Ita Sentiunt omnes illi authores, qui aucto valore monetæ mutuo datæ defendunt ex quantitate accepta posse tot ducatos subtrahi, quot detractis prodeat valor acceptæ mutuo pecuniæ.

Probatur. Si nihil addatur, sed præcisè restituantur centum taleri, tunc redditum non est æquale, ac ejusdem bonitatis cum accepto: hoc enim, cum acceptum fuisset, æquivalerat v. g. 200. florenis, casu quo singuli taleri distrahebantur duobus florenis: tempore autem restitutionis adæquantur 100. taleri duntaxat 150. florenos ergo &c.

Confirmat hoc ipsum sentiens Lugo disp. 25. sect. 7. n. 124. hoc modo: valor horum talerorum non perit deponenti, aut mutuanti sed mutuatario: quia per usum taleri evaserunt proprij ipsius

fius mutuatarij, ita ut verus illorum evaserit dominus: quælibet autem res perit domino suo.

Probatur 2. Quælibet restitutio mutui debet juxta dicta fieri quantum potest in eadem specie, bonitate, & quantitate, hoc autem non fieret, quia 100. taleri diminuto illorum valore extrinsecus in æstimatione morali non sunt ejusdem bonitatis: ergo mutuatarius haberet lucrum cum damno mutantis.

3. Licet defectus diminuti valoris compensetur, ex hoc tamen mutuans Titius non acquirat plus, quàm quod dederat, datum enim ponitur habuisse valorem ducentorum florenorum: si autem cujuslibet taleri valor extrinsecus diminutus fuit dimidio floreno licet 100. taleris in specie addantur 50. adhuc floreni, non plus accipiet mutuator Titius, quàm Sempronio concesserat.

29 Dico 3. Licet Titius mutuator scivisset, valorem talerorum diminuendum esse eundem tamen potuisse illos Sempronio mutuos dare sub hoc onere, ut sibi restituat secundum æstimationem, quam habebant, cum dedit, modo Sempronius eosdem antequam diminueretur valor, in suos usus impendere voluerit. Ita Azor p. 3. lib. 10. cap. 7. Probatur in hoc casu mutuator Titius nullum lucrum acquirat, cum pecuniam det secundum

æstimationem, quam tunc habent, & solum damnum devitet

Confirmatur, licet metuam, ne centum taleri apud me pereant, nihilominus possum illos alteri mutuo dare, apud quem nullum jacturæ periculum appareret: item rem apud me perituram possum vendere, licet videam illam apud alium haud perituram esse.

Neque obsunt hæcenus dictis 30 propositæ superius rationes, nam ad legem in Navem 31. ff. locati respondeo, in tali casu nequam tandundem pecuniæ solvendum, quantum receptum fuit, si centum solum taleri solverentur: eo quòd ob diminutum illorum valorem extrinsecum non censeantur esse eadem cum mutuo datis pecuniæ.

Ad 2. Dico licet omne depositum quamdiu manet tale, maneat sub dominio deponentis: centum tamen taleri in mutuum transiére, ex quo illos in suum usum absumpsit Sempronius.

Ad 3. Dico: si Sempronius 31 iisdem taleris non fuisset usus, mansissent ut depositum sub dominio deponentis: ex usu autem facti sunt Sempronij.

Quarta etiam soluta 32, 33 si dicamus, centum taleros tempore diminuti pretij non amplius in æstimatione morali censeri esse ejusdem bonitatis qualis fuere tempore conceffi, & absumpti depositi.